

egilatori Moysi praestet; quantum antitypus typo, lux umbræ, veritas figuræ.

98 35. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum.

V. 36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis

V. 37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gebon in die vindemiæ.

Multiplex Evangelica doctrina commendatio.

Concinnè admodum post Mosaicæ legis, legislatorisque Moysi commendationem, evecto jam supremo legislatore Jesu ad thronum suæ majestatis Regium; agitur de Christiana Sapientia, deque doctrina Evangelica, quæ, ut conflat quantum ipsa veterem legem antecellat, & quàm sit uberrima, frugifera, universalis, omnique spiritualium divitiarum cumulo præstans, eleganter satis quinque celebrissimis toto orbe fluminibus, abundantanti, jugi, atque continenti aquarum ductu universam terram irrigantibus, gemmis, auroque plenissimis assimilatur.

99 V. 38. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam.

V. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abyssu multa.

Evangelica sapientia incomprehensibilis.

Cùm Evangelica doctrina quinque sit decantatissimis illis fluminibus aqua exuberantibus assimilata, imò illis multò latior & augustior extet; satis consequenter subinde deducitur, ejusmodi esse Christianæ Sapientia amplitudinem sublimitatem, profunditatemque, ut mens nulla humana, præter divinam, possit eam perfectè comprehendere. Cujus incomprehensibilitatis ea bona assignatur ratio; quòd Sapientia Evangelicæ principium, unde ipsa fluit, & exundat, sit planè interminum, & immensum divinitatis mare, à quo doctrina ipsa Evangelica, & lex gratiæ habens infinitam quandam profunditatem, quam nemo, nisi Deus, suo possit exhaurire intellectu.

100 V. 40. Ego Sapientia effudi flumina.

V. 41. Ego quasi trames aqua immensa de fluvio: ego quasi fluvius Dyorix, & sicut aqueductus exivi de Paradiso.

Per Jesum & Mariam Christianæ sapientiae doctrinae derivatio.

Ut ostenderet Siracides gloriosissimam Christi doctrinam, ab illis fluminibus mutuatus est exemplum, quæ præ aquarum copia intra claustra æstate contineri nequeunt. Nunc verò, significantius declarat unde illa Evangelicæ Sapientia flumina ortum trahant: nempe à Jesu, & suo etiam modo à Deipara, qui matres eorum fluminum extant; & per quos illa à Deo ipso ad nos profuxerunt, & ubertim profluunt. Quod ut explicent, seipso comparant tramis immensæ aquæ, sive fossæ, in quam derivantur aquæ immensi fluvii, nec non aquæ ductui de Paradiso effluentii. Quæ utique similitudines deserviunt bellissimè doctrinæ explicandæ, quæ ad multorum usum exuberet, deriveturque.

101 V. 42. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

Evangelica doctrina finis & commoda.

Ed tendunt tot Christianæ Sapientia, & Evangelicæ doctrinæ fluentia, rivi, trames, & aqueductus, ut Ecclesiam orthodoxam (primam)

mitivan præsertim) insiar horti, pratique amœnissimi, electis eximia gratiæ & pulchritudinis plantis constam, atque adeò à Jesu & Maria in deliciis habitam, ubertim irrigarent, ut sic non amœna solum, sed sanctorum quoque fructuum feracissima reddatur.

102 V. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare

V. 44. Quoniam doctrinam quasi ante lucanum illuminabo omnibus; & enarrabo illam usque ad longinquum.

V. 45. Peneirabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.

Ex jugi illo Christianæ Sapientia profusio; perennique irrigatione, quæ non subterquerentur in dies commoda? En tibi ex parvis Apostolica prædicationis initiis maximum incrementum, ubertas maxima, ac penè incredibilis progressus. Quippe Evangelicæ doctrinæ trames ad eam pervenit copiam, ut ex tramite in fluvium, & ex fluvio in ipsum excreverit mare. Cujus rei illa commoda assignatur sub diversa metaphora ratio; quòd Christiana doctrina adinstar sit maris: lucis quaquaversus suum diffundentis splendorem, quæ successivè progrediens extrema quoque terræ, ac profundissima, fugatis tenebris, illuminet. Nimirum doctrinæ Evangelicæ illustrarunt Christum & Deipara vel longinquas orbis partas, & Gentiles profundissimo peccati somno, densisque errorum umbris consepultos.

Incrementum, ubertas, progressus.

103 V. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum; usque in ævum sanctum.

Ne quis falsò existimaret, Christianam Sapientiam, vel temporis decursu omnia facile absumptis, vel Tyrannorum rabie, aut Hæreticorum malitia quandoque hominibus futuram, verissimè, ac seriò promittunt Jesus, & Maria, fore certò in Ecclesia orthodoxa Evangelicam doctrinam usque ad mundi exitum, ea planè certitudine, virtute, & soliditate, quæ instita illi est, ita ut præstò sit semper & ubique cuiusvis eam exquirenti.

Perennitas.

104 V. 47. Videte, quoniam non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

Cùm totum hoc caput nobilissima quædam sit panegyrica oratio, qua seipso Christus, & Deipara majori ex parte dilaudant; cumque sit quoddam mysteriosè exprimitur, concluditur tandem his postremis verbis, eo planè tendere totum hoc opus, & laborem, non tantum ut Jesus, & Maria suæ propriæ gloriæ, & Ecclesiæ orthodoxæ, præcones extant pro acquirenda ampliore sibi gloria, sed etiam ut nobis valde sint commoda, qui veritatem ipsam sectamur: quasi non sibi solis studuerint, & vocaverint, sed & aliis laboraverint & consuluerint.

Operis Epiphonema.



COMMENTARIUS LITTERALIS, PANEGYRICUS, ET MORALIS.

In Caput vigesimum quartum Libri Ecclesiastici.

Quod est sacra quædam ac prælustis Concio à JESU, & MARIA in sui ipsorum laudem; atque in Romanæ Ecclesiæ, Religiosæ signatim, & Evangelicæ Doctrinæ commendationem habita, coram Triade sanctissima, plaudentibus Angelorum millibus.



ILUCIDATIS jam sub præeunte Facula iis, quæ apprime necessaria duximus ad Capitis 24. aditum & ingressum; in presentiarum qua alacritate dat Deus, qua nos quoque, divino favente Numine, solerti cura & studio possumus, animum intendimus recenti hujus capitis enodationi & illustrationi. Igitur summatim statuo, propheticum omnino esse illius argumentum, quod spectare existimamus ad JESUM mundi Magistrum, & Assertorem; necnon sensu quoque literatio ad Jesuparam Mariam: quorum eximia præconia, arcana attributa, admiranda misteria, egregia facinora vaticidius Jesus Siracides gratissimo orationis genere, calamo felicissimo, & pulcherrimo stylo Rethorum flosculis, pigmentisque plena, fufius quovis alio, par erat, mirificè recenset. Quæ ut dignius, & artificiosius præstet, Jesum & Mariam, veluti famosos concionatores seipso inprimis dilaudantes, inducit. Ego verò, ut dilucidiora hæc fiant ex nostris commentariis, tria in illis nitari observare: primò rextum breviter expendam: deinde illam elucidabo, enucleando Jesu, Deiparæ, & Ecclesiæ Christianæ magnalia: ac demum moralia non pauca circa textus litteram propinabo.

PARS CAPITIS PRIMA.

Quæ est totius Concionis Prologus sive Epigraphæ.

- V. 1. Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur.
V. 2. Et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur.
V. 3. Et in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur.
V. 4. Et in multitudine electorum habebit, laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens.

Argumentum.

Textus enodatio.

105 HI quatuor versiculi agunt totius capitis prologum, exordium, sive inscriptionem, quæ animum auditorum idoneè comparant ad reliquam dictionem. Quatuor potissimum hic attingit Siracides Jesus. Primum, hanc esse de genere laudatorio orationem, qua & Jesus & Jesupara (qui Sapientia nomine indigitantur) se ipsos commendant, suaque magnalia: atque idcirco eos quasi è suggestu dicentes inducit. Secundum, quibus coram per illustris hæc habita sit concio, nempe coram Triade sanctissima. Tertium, quibus adstantibus, & stipantibus; videlicet Angelorum millibus. Quarto, subsecutorum meminit ab auscultante multitudine plausuum, admirationis, & acclamationis.

106 S Apientia laudabit animam suam, &c. En tibi egregios Concionatores Sapientia nomine demonstratos. Etenim, missis aliis Sapientia acceptionibus; sumit hic Sapientia non pro increata, ingenta, sive essentiali, quæ est ipse Deus, & communis Patri, Filio, & Spiritui S. daturque in creaturis per participationem quondam producta, uti Janfenius & recentiores alii contendunt, & videre est apud nostros Cornelium, & Oliverium. Nec sumitur Sapientia nomen eo modo, quo Camerarius accepit, sic explicans totius capitis argumentum haud malè. Splendidum ac dulcissimum encomium Sapientia, seu doctrina de Deo in Ecclesia populi Israel certis, ac illustribus testimoniis patefacta & propagata. Quæ est ipsa Dei sapientia,

P. Ideph. de Flores in Eccles.

& voluntas aeterna verbo expressa, & in lege, & in Evangelio revelata; cum qua vult Deus nostras mentes, iudicia, consilia, voluntates, mores, actiones & vitam totam congruere. Dimittit autem indicat Siracides se de sapientia revelata, seu verbo Dei, quod in Ecclesia praedicatur, & lucem verae agnitionis Dei, & efficacem consolationem, & vitam aeternam in auditoribus accendit, concionari Et dulcissimis figuris, ac similitudinibus florentem Ecclesiam, & ministerium verbi divini cum populo Israel generosis testimoniis institutum, & inde in omnes gentes propagatum depingit.

Varia Sapientia acceptio.

107. Praestat itaque Sapientiam hic accipere tripliciter: Primò pro Sapientia genita & personali, Verbo scilicet divino, aeterni Patris Filio; qui frequenter solet in Litteris inspiratis, & apud Ecclesiae Proceres Sapientia nomine vocitari. Qua de re consulendi Theologi, & in primis noster Didacus Ruiz in suo egregio opere de Trinitate disput. 58. Sect. 4. ubi ex candidissimo multorum Patrum calculo late & eruditè probat Sapientiam saepe saepius pro ipsa Verbi divini Sapientia supponi. Atque in hoc sensu, Ecclesiastici verba capiunt Fuldenis Abbas, & Episcopus Moguntinus Rabanus, Strabus, Liranus, Dionysius, Palacius; nec dissentiunt Cornelius, Oliverius & alii. Claretque ex illis verbis v. 5. Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita, &c. Quippe esse genitum, prodire, & produci ab alio, nulli sanè Dei attributo competit, sed Verbi divini personae, quae Sapientia est genita à Patre.

Pro Christo, quia homo est.

108. Secundo, sumitur hic Sapientia pro Christo Jesu, quia homo est, & Sapientia in utero Virgineo incarnata. Huic existimationi adherent Hugo Carenfis, Cathusianus, Glossa, Liranus, Palacius, Rabanus; neque illam improbant nostri Cornelius, Oliverius, Octavianus de Tuso, & alii. Quod firmatur satis abundè ex illis v. 12. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & ex v. 14. Ab initio, & ante saecula creata, sum. Ubi Sapientia creata (de qua hoc v. 1.) nulla alia est sapientia, ex multorum Patrum mente, praeter Sapientiam incarnatam, Christum Dominum, quia Homo extat; ratione enim solius humanitatis creata dicitur. Unde S. Nazian. Orat. 36. quae est 4. de Theologia; Sapientia secundum inferiorem generationem, creata: secundum autem primam illam, magisque incomprehensibilem, genita dicitur. Videndi S. Basil. lib. 4. contra Eunomium, & epist. 141. ad Caesarianos, S. Chrysost. Serm. de S. Trinitate. S. Cyrillus Alexand. lib. 5. Thesau. cap. 4. & 5. Dialog. lib. 4. S. Epiphanius. Haeres. 69. Greg. Bedae lib. de Trinitate. S. Damasc. lib. 4. de fide c. 19. S. Ambrosius. lib. 1. de fide ad Gratian. c. 7. & lib. 3. cap. 4. S. Augustinus. lib. 1. de Trinitate. c. 12. & lib. 7. c. 4. S. Hieronymus. in Epist. ad Ephesios. 2. S. Fulgenius. ad object. 3. Arrianorum, Concilii Hispanense 2. actio. 13. col. 1. Qui omnes in hanc nostram explicationem conspirant.

S. Nazian.

Pro Deipara aeterna sapientia Matre.

109. Tertio, per Sapientiam hic valde appositè accipias Virginem Matrem Deiparam, verissimam aeternae, & incarnatae Sapientiae Parentem, ac totius sapientiae divinae, & humanae thesaurum; quae quidem usque adeo fuit multiplici sapientia condecorata, ut non tam sapiens, quam ipsamet sapientia, jure merito, & in Scripturis sacris, & à sacris Scripturis compelleretur. De quo nos infra,

cum Textum illustremus. Illud tamen hic observo; in hanc tertiam Sapientiae acceptio-nem conspirare libentissimè quotquot hoc Ecclesiastici caput 24. de B. Virgine interpretantur; illi praesertim, qui non in sensu dumtaxat accomodatitio, sed verè literario secundario, & minus praecipuo, verba capiunt: de quo nos supra n. 51. & sequentibus. Cujus rei non leve etiam fundamentum suppeditat ipsum nomen Sapientia, Prov. 8. & Ecclesiastici 24. 1. Vox enim Graeca, ut praenotatum legi apud Mariana nostrum in scholiis ad cap. 9. Proverb. pluralis numeri est: unde ipse convertit, Sapientia. Quasi incarnata Sapientia persona una, & illius Parens sapientissima persona altera indigiterentur eo Sapientiarum nomine. Adde, Sapientiam pro sapientibus poni solere. 1. Corinth. 1. Sed quia stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. Tertull. de praescription. adversus Haereticos cap. 7. & lib. de Baptismo c. 2. Sapientiam legit pro sapientes. Idem habet lib. de Carne Christi cap. 4. & c. 57. & de fuga cap. 2. & lib. adverb. Praxe. c. 10. Ne jam mireris, cum audis Sapientia laudabit animam suam, id est, duo illi sapientes, imò & sapientie dua, Jesus nempe, & Maria. En tibi concionatores ipsos, hanc sui Panegyrici concinnantes.

Sapientia sumi solet pro sapientibus.

1. Corin. 1. Tertull.

110. Sed enim verò, concionis totius scopum collimant ea verba, Sapientia laudavit animam suam; honorabitur; aperiet os suum, ad dicendum, ad docendum: gloriabitur, id est, gloriam suam dicet, magnaliaque. Drusus Priora verba ex Graeco vertit & explicat: Sapientia laudat animam suam, id est, seipsam. Quod mutuo sumptum, ab hominibus: Alioquin sapientia non habet animam, sicut, nec Deus; de quo tamen legimus: Juravit per animam suam. Similiter Camerarius: Sapientia praedicat seipsam & in actu populi celebrat se, concionatur in Ecclesia Dei, & in regno ejus ebuccinat seipsam. Crebra phrasibus Bibliorum, ubi anima vocabulo significatur, circumscribiturque persona, cujus est anima, per synecdochen. Genes. 46. 27. Omnes animae domus Jacob fuerunt septuaginta; id est, omnes personae. Isai. 42. 1. Placuit sibi in illo anima; id est, placuit ego in illo. Jerem. 3. 31. Justificavit animam suam; id est, justificavit se ipsam. Ps. 3. 3. Multi dicunt animam meam, id est, mihi. Jere. 51. 14. Juravit Dominus per animam suam; id est, per seipsum. 1. Petri. 3. 20. Octo animae salvae factae sunt; perinde est, atque octo homines. Sic etiā Hispanè dicimus; no ay alma, id est, nullus homo. Hinc, amare animam suam, & odisse animam suam, nihil est aliud, quam amare se, & odisse seipsum. Apud prophanos quoque.

Scopus concionis.

Drusi.

Anima pro persona.

Genes. 46. 27.

Isai. 42. 1.

Jerem. 3. 31.

1. Petri. 3. 20.

Virg. 11. Encl.

Nos animae viles, inhumata, infetaque turba. Porro, constat Hebraeam vocem nephes latius patere, quam Latinā anima, sumique non solum pro anima, sed pro toto homine seu persona. Unde in praesenti; Sapientia laudavit animam suam, idem erit omnino, atque Jesus & Maria se ipsos laudabunt; in apertum profertur intima pectoris sui, originem, naturam, proprietates, virtutes, & mirabilia opera. Et forte, animam, dixere; quod laus propria sit animae, cui inest virtus, & sapientia.

111. Camerarius exscribit: Sapientia ebuccinat se. Quod veniunt illa S. Cyrilli Alexan. verba in Praefat. ad Jonam, Christus tardus lingua non est, nec voce tenui, sicut Moyses, sed est ipse, magna Tuba; quo illum nomine Isaias appellat.

appellavit (c. 27. 13.) & erit in die illa, clangent magna Tuba. Ubique enim annunciata sunt verba Salvatoris, & audierunt illa quotquot sub sole degunt. Num. 10. 2. jubet Deus fieri duas tubas, quas vult esse ductiles. Cur. ductiles? Idem Cyrillus in Hom. 20. de Festis Paschalibus. Ductiles sunt haec tubae, ut intelligamus non intra solam legis umbram & anigma coerceri ac contineri Salvatoris nostri mysteriorum explanationem, sed brevi potius ad id, quod melius est & verius, progressionem atque incrementa capturum; semper namque spatium amplioribus protenduntur quae tendendo extenduntur. Ebudicantem se Christum describit Siracides, ut ostendat vel in ipso orationis vestibulo, praedicam toto hoc capite, ad Evangelicam doctrinam spectare, cujus sonus in omnem terram exivit. Idem de Deipara dictum esto, sese hic ebuccinante: unde appellatur ab Andrea Hierosolym. in Missis est: turba clarissima praecognitionis arcana.

Quibus coram habita.

Particula in pro coram.

Psal. 47. Genes. 33. 10.

Ecclesia nomine tres divinae Personae.

Tertull.

112. Secunda proemii pars ostendit, quibus coram habita sit haec concio: in Deo honorabitur; id est, coram Deo, coram Triade sacratissima. Particula enim in ex Hebraeorum more saepe est coram. Habac. 3. 4. Cornua in manibus ejus: id est, fulgura veniebant coram eo. Ps. 7. 4. Si est iniquitas in manibus meis, id est, coram me. Genes. 33. 10. Si inveni gratiam in oculis tuis, id est, coram te. Obvia sunt testimonia alia. Igitur in Deo honorabuntur Christus, atque ejus Mater Virgo; id est, coram Deo Trino, & uno. Quod etiam referri possunt illa; Et in Ecclesia Altissimi aperiet os suum. Graecè ἡ ἐκκλησία, id est, in Ecclesia. Sic Drusus, in Ecclesia, vel actu supremi. Camerarius: concionatur in Ecclesia Dei. Etenim, ut noviter ex Tertulliano didici, possunt Ecclesia nomine hic intelligi tres Personae divinae. lib. de Baptismo. c. 6. cum dixisset, fidem obfigari in Patre, Filio, & Spiritu S. subjungit. Necessariò adjicitur Ecclesiam mentio, quia ubi tres, id est, Pater, Filius, & Spiritus S. ibi Ecclesia, quae trium corpus est. Et de pudicitia c. 21. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Imò Spiritum S. vocat Ecclesiam ibidem paulò antè: Ipsa Ecclesia proprie, & principaliter ipse est Spiritus.

Quibus adstantibus.

Angelorum Epitheta.

113. Tertia proemii pars demonstrat; quibus adstantibus, & stantibus, Jesus & Maria se ipsos commendaverint; videlicet Hierarchis Angelorum, quos appellat Siracides primò populum Christi ac Deiparae; Secundò Ecclesias Altissimi: tertio virtutem: Quarto plenitudinem sanctam: Quintò multitudinem electorum. Et licet nonnulli existiment, hisce vocabulis intelligi congregationem Fidelium, & justorum; commodius tamen intelligunt alii Angelorum Hierarchias. Cui existimationi applaudit inter alios Paulus de Palacio doctissimus sacrarum litterarum interpres in Comnibricensi Academia. Atque imprimis populus appellari solet in sacra Scriptura non semel Angelorum coetus: ut observant S. Augustinus. quæst. 208. in Genesim; Lyranus, Glossa interlinealis ad illud Genesios cap. 49. v. ultimo; ubi de Jacob defuncto, sed nondum sepulto dicitur; appositus est ad populum suum: id est, ad frequentiam Angelorum: ut exponit inter linealis: vel ad Angelos, ut explicat Magister in Scholastica Historia: & S. Augustinus. An forte est non solum hominum Sanctorum, sed etiam Angelorum populus civitatis P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

S. August.

illius? Deinde, Angelos appellari Ecclesias Altissimi, claret ex divinis litteris. Ps. 21. 27. Apud te laus mea in Ecclesia magna. Et Ps. 25. 12. In Ecclesiis benedicam te, Domine: id est, in coetu Angelorum. Veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum. Ubi Agellius: in Ecclesia Sanctorum, in actu illo innumerabilium Angelorum, qui Ecclesiae dicuntur plurali numero propterea quod in suas sint distincti Hierarchias, & congregationes, quarum quavis innumerabiles continet Angelos. In novem Ordines communiter dividuntur à Patribus: in Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Hi omnes appellantur Ecclesiae; quae vox Graecè sonat non solum coetum, concilium, congregationem, comitia, sed ad rem nostram concionem. Cui assonat Hebraea me Kabalin, quae selectissimas, probatissimas, & optimas conciones significat. His igitur coram Sapientia dicitur aperuisse os suum, ut se dilaudet.

Psal. 41. 27.

Pf. 88. 6.

114. Rufus, Angeli vocitantur Virtus Dei seu Exercitus Dei. Drusus vertit, coram exercitu ejus. Graeca enim vix ἄνδρας virtutem, exercitum, militares copias significat. Unde Deus appellari solet Deus virtutum exercituum, Ps. 23. 10. Isai. 9. & passim. Militia autem, virtus sive, exercitus Dei sunt in primis Angeli Deo militantes, eumque glorificant. 3. Reg. 22. 19. & 2. Paral. 18. 18. Lucae 2. 13. & alibi saepe: atque ita explicant communiter interpretes. Ac demum vocantur Angeli plenitudo sancta, seu multitudo electorum; quia sunt plenissimus, maximusque Sanctorum Spirituum coetus, quem Deus praeter caeteris elegit ad sanctitatem, & gloriam. Eapropter benedicti appellantur.

Plausus, & acclamationes subjectum.

115. Postrema denique proemii pars acclamationes continet, plausus, & admirationes Angelorum; magnum utique gestientis animi & magnalia Jesu, & Mariae, beneficiaque agnoscentis testimonium. Eò spectant illa verba, In medio populi sui exaltabitur: In plenitudine sancta admirabitur: In multitudinem electorum habebit laudem: Et inter benedictos benedicetur. Exaltabitur in Angelorum, & hominum mentibus; audientes Angeli dicenti acclamabunt. Admirabitur, passivè accipias, id est, in admiratione erit: unde Tigurina legit: in sancta multitudinem miraculo est. Subinde, miris laudibus ab Angelis extolletur: Et praeter omnibus electis replebitur benedictionibus. En plausus, & acclamationes, post finitam concionem; in qua JESUS & MARIA seipsos commendant, omnes exaudiunt, omnesque ad sui disciplinam, studium, imitationem, obsequium, & cultum invitant. His ergo praestatis circa textus literam, rem totam illustremus.

TEXTUS ELUCIDATIO.

SECTIO I.

JESUS incarnata Dei Sapientia unus in una Angelorum & hominum Schola Doctor, & Magister.

116. IN hunc sensum capias illa verba; Sapientia in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum. Vel de praesenti aperit, ut Graeca habent, & vertunt Tigurina, Drusus, Camerarius, & alii. Lyranus explicat: Os suum aperit